Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 969
Quelle:
Copyright:

plicit tractatus contra articulos hussitarum collectus In vniuersitate wien. ad instantiam Reuerendissimi in christo patris &c. domini placentini (Brandae Castillionei) *presbiteri Cardinalis Sacrosancte Romane ecclesie et apostolice sedis legati Per egregios Sacre theologie professores et Magistros Jacobum ord. predic. doctorem eiusdem cardinalis, petrum Pucka* (l. Pulka) *et Bartholomeum de Ebraco ord. Cistercien. rescriptus In Essing* (oppido Bavariae in Ep. Ratisb.) *Anno domini M° CCCCXXIIX°. feria quarta proxima post dominicam judica per Andream Boemum.* Cod. *suprac.* scriptus dicitur 1426. *Jacobus* Legati theologus, ut reor, *Zinedolus* fuit *Placentinus*, cujus meminere *Pet. M. Campus* in *Hist. Eccl. di Piacenza* T. III. p. 194. et *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 771. *Bartholomaeum* vero Abb. *Eboracensem* in *Franconia*, unum ex 10. *Hussi* Judicibus apud *Car. de Visch* in *Bibl. Scriptt. Cisterc.* p. 32. reperies. Scriptum saepius recurrens. Adi *Indicem.*

IV. *fol.* 90. *Tractatus de Corpore Christi.* Hujus initium: *Uenite comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis. Prov. 9. His uerbis inuitat nos dominus ad salutare conuiuium* &c. Divisus est in XXXII. five *Capita* five *Sermones* breviores, et finit: *Et circumfluencia temporalium bonorum recte meritoque contempnentur. Amen deo gratias. Explicit Tractatus multum bonus de corpore christi.* Est *Thomae Aquinatis* Opusculum LVIII. in edit. *Opp. Romae* 1570. T. XVII. *fol.* 43. sed hic valde interpolatum. Recurret et alibi.

V. *fol.* 122. p. 2. absque Titulo *Oratio Legatorum Regis Galliae ad Bohemos*, ut ad fidei unitatem redeant. Incipit: *Quanquam in fidei causa katholicus quisque et legitimus actor et monitor exaudibilis esse possit* &c. Et finit: *Valete si consilijs obtemperatis non perituri.* Difficile est statuere, quando et a quibus habita sit, cum praeter Scripturae textus et monita generalia nihil contineat, neque in Actis *Constant.* aut *Basil.* aliisve Rerum *Hussiticarum* Scriptoribus facile reperiatur.

VI. *fol.* 124. p. 2. *Utrum licitum sit in ecclesia pecuniam candelam aut aliud huiusmodi offerri.* Quaestio haec in partem adfirmantem decisa, et, ut videtur, *Nicolao de Dünkelspühl* tribuenda, indicata est alibi, ut docet *Index.*

VII. *fol.* 126. Tractatus *asceticus* absque titulo, hoc initio: *Sex sunt quorum quolibet et melius ex omnibus simul construi potest fideli anime secura quedam via qua defensatur et sequestratur ab omni mundana delectatione et incursibus malarum temptationum* &c. Haec porro *Sex* sunt: Meditatio inferni, Coeli, Vitae et Mortis Christi, Mortis propriae, claustralis custodia et monastica disciplina, et demum Consideratio extre-